



II. Abtheilung: Mittheilungen.

Aus Vaticanischen Archiven.

Zur Reformgeschichte des Benedictiner-Ordens im XVI. Jahrh.

Von Bruno Albers, O. S. B. in Rom.

Im vorletzten Hefte dieser Zeitschrift¹⁾ wurde der Visitationsbericht des um Süddeutschland hochverdienten päpstlichen Nuntius Felician Ninguarda für die Benedictiner Nonnenabtei Niedernburg veröffentlicht. Auch in der alten Abtei Tegernsee hat Ninguarda seine Visitation abgehalten. Derselbe dürfte, wie sein Titel „*Brevis extractus visitationis monasterii S. Quirini in Tegernsee*“ angibt, nur ein Auszug aus dem ganzen Recesse sein, welchen eine Münchener Handschrift: Clm 1926 hat. Die letztere hat als Titel: *Ordinationes nuntii apostolici anno 1581*, und beginnt mit den Worten: *Fr. Fadicianus Dei et Apostolicae grā, Epūs Scalensis, Smi Dñj. Nōrj. Dm. Gregorii divina providentia Papae XIII dictēq̄ Sedis Nuncius ad partes Germaniae superioris etc. Quantum monasteria regularium tam virorum quam mulierum in his partibus existentia ex superiorum partim negligentia etc. . . .* und schliesst im 61. Abschnitt: *Datum ex predicto monasterio Tegernsee Anno Dñj 1581 die vero XII Julii (M.DLXXXI) Pontificatus praefati Sanctissimi Domini Nostri Papae Gregorii XIII, Anno X^{mo}. Frater Felicianus, Episcopus Scalensis Nuncius Apostolicus manu propria.* Von späterer Hand ist hinzugefügt: *Datus est iste recessus sub Rmō D. Quirino hujus nominis secundo. dicto Rest, abbate in Tegernsee.*²⁾

¹⁾ Vergl. Jahrg. XXI (1900) dieser Zeitschrift p. 197 ss.

²⁾ Herr Dr. E. Stollreither hatte die Güte, die Handschrift in München für mich einzusehen und mir die oben mitgetheilten Angaben zu machen. Auf die Handschrift selbst wurde ich durch Lindner, Schriftsteller, I. 160 aufmerksam. Derselbe führt pg. 158—159 reichhaltige Literatur über Tegernsee an.

Tegernsee ist eine der uraltesten Heimstätten des Benedictinerordens im schönen Baierlande. Die Gründung dieser Abtei, deren Abt den stolzen Titel „Primas Bavariae“ zum Zeichen seines Vorranges vor allen übrigen bairischen Prälaturen gleicher Stellung führte,¹⁾ reicht in die Karolingerzeit zurück.²⁾

Die älteste Kunde vom Bestande der Abtei gibt uns eine Urkunde aus dem Jahre 804, welche Meichelbeck uns erhalten hat.³⁾ In derselben ist Abt Adalbert der erste Vorstand der monastischen Klostersgemeinde genannt. Derselbe kann recht gut der Bruder Otgars, des ersten Mitbegründers der Abtei gewesen sein, denn einen Adalbert und Otgar nennt uns das Bestätigungsdiplom Kaiser Otto II. vom 10. Juni 979 als Gründ-r der Abtei Tegernsee.⁴⁾ Kaiser Otto II. stellte die Urkunde auf Bitten seines Neffen, des Herzogs Otto von Schwaben und Baiern, aus. Derselbe hatte die durch Herzog Arnulf von Baiern schwer geschädigte, dann durch eine Feuersbrunst gänzlich zerstörte Abtei wieder aufgebaut und Mönche von St. Maximin in Trier unter Hartwig als Abt dorthin berufen. Kurze Zeit später widmet Gotthardt, erst Mönch und Abt von Niederaltaich, Hirsfeld etc., auch Tegernsee seine reformatorsche Thätigkeit. Bekannt ist, dass im X. und XI. Jahrhundert in Tegernsee eine Glashütte bestand und dass die classischen Studien all dort eine traute Heimstätte gefunden. Im XIII. Jahrhundert drohte der Abtei durch unberechtigte Uebergriffe der weltlichen Fürsten gänzlicher Verfall. Nur wenige Mönche bevölkerten mehr das Kloster, das zudem ein adeliges geworden. Mit der Berufung des 25jährigen Kaspar Ayndorfer (1426—1461) auf den äbtlichen Stuhl in Tegernsee begann eine neue Blütezeit. Abt Kaspar führte zunächst die Melker Reform ein,⁵⁾ dann nahm er auch Nicht-adelige unter seine Mönche auf. Einer der ersten, welcher eintrat, war der Theologe Johannes Khekh (Keck) von Giengen, dessen Ruhm und Gelehrsamkeit tüchtige Kräfte anzog, so dass der Convent bald fünfzig Mitglieder zählte. Andere, wie Bernard Waging, Ulrich Stöckel, vor allem aber der ebenso gelehrte, wie tüchtige und fromme P. Wolfgang Seidl sind um jene Zeit eine Zierde der Tegernseer Conventualen. Etwas mehr denn hundert Jahre später besuchte Felician Ninguarda die Abtei und hielt in

¹⁾ Kurfürst Karl Albert bestätigte dem Abte Gregor I. am 4. Juni 1727 diesen früher vielumstrittenen Titel.

²⁾ Mabillon. Annal. O. S. B. II, 121.

³⁾ Meichelbeck, Hist. Frising. I, 2. S. 92 Nr. 121. Hartzheim, Conc. Germ. I, 384 (Ed. Colon.).

⁴⁾ D. O. II 219, Nr. 192. Vgl. Hauck, Kirchengeschichte Deutschlands II^s, 434, NB. 6.

⁵⁾ Wessinger, A. Kaspar Aindorfer, Abt von Tegernsee 1426—1461. Ein Lebens- u. Zeitbild nach den Quellen dargestellt. Auch Oefele, Ss. II, 75—77 ss.

ihr eine canonische Visitation ab. Den Abtsstab führte damals Quirinus II., mit dem Familiennamen Rest (1568—1594). Der *Brevis extractus*, der in den *Var. Polit.* 102 fol. 250 nr. 11 des Vaticanischen Archives uns die Verhältnisse im Kloster schildert, scheint mir in manchen Punkten von dem abzuweichen, was sonst von Abt Quirinus II. berichtet wird und der Einzel- forschung wird es überlassen sein müssen, festzustellen, in welchen Fällen der päpstliche Visitor wirkliche Misstände rügt, in welchen Fällen er, durch die neuen Bestimmungen des Tridentinischen Concils bewogen, die Satzungen dieses allorten einzuführen suchte. Diese Bemerkung scheint mir umsomehr gerechtfertigt als Ninguarda 1583 den Abt Quirinus von Tegernsee zum General- visitor der neu zu bildenden bairischen Benedictiner-Congregation ernannte, wie aus dem Decrete hervorgeht, das wir dem nun folgenden Visitationsrecesse, gleichzeitig anschliessen.

Der Visitationsbericht lautet:

*Brevis extractus visitationis monasterii St. Quirini
in Tegernsee ordinis St. Benedicti, Frisingensis dioecesis per
Episcopum Scalensem Nuntium Apostolicum anno 1581
de mense Julio factae.*

*Var. Polit. 102,
fol. 250 nr. 11.*

Sunt in hoc monasterio 18 Sacerdotes cum abbate, levitae quinque duo novitii et duo conversi.

Statuta ordinis nunquam leguntur.

Silentium et ab iisdem non servatur praesertim vesperi.

Cellae fratrum raro visitantur.

Non dantur fratribus vestimenta neque lectisternia sufficientia.

Fratres aliqui utuntur quandoque camisiis lineis et femoralibus contra statuta et regulam.

Conqueruntur fratres omnes, quod abbas ipsis ignorantibus a Sede Apostolica dispensationem obtinuerit per male narrata vescendi carnibus in monasterio ad certos dies, praesertim sub aëris praetextu, cum tamen id verum non sit, et petunt carni- esum iterum auferri, cum sit directe contra ipsorum institutum.

Item prius carnes comedebantur absque lectione ad mensam cum confusione regulae et statutorum ordinis.

Fratribus non datur saepe vinum conveniens.

Fiunt vesperi saepe potationes a quibusdam primariis monachis cum scandalo aliorum.

Nullus habetur medicus pro necessitate.

Item infirmis non prospicitur de cibis convenientibus, neque eis servitus necessaria datur.

Fratres juniores non habent proprium praeceptorem, ita quod bene institui non possint cum eorum infirmator etiam saecularibus scholaribus extra clausuram praeficiatur.

Nullus est oeconomus universalis, quem ordo Benedictinorum Cellarium vocat, per quem omnia monasterii negotia tractori debeant.

Nullus etiam est in monasterio pro fratribus cellarius monachus.

Reliquiae ex mensa non distribuuntur amplius in pauperes, uti antea fieri solebat, sed dantur praebendistis loco cibi, qui a monasterio dari solebat.

Abbas nunquam fere ingreditur chorum, refectorium et capitulum pro audiendis culpis.

Abbas nimis durus et immisericors est erga fratres.

Abbas nimis incumbit rebus secularibus usurpans officium Judicis et Secretarii et aliorum.

Abbas nimis adhaeret Georgio Mayr olim parcho nunc Frisingae degenti, qui indignus est sacerdotio propter suas levitates.

Abbas incumbit etiam cum aliis fratribus lusibus cartarum, venationibus contra regulam ac statuta ordinis et sacros canones.

Abbas concedit fratribus licentiam vagandi et ad alia monasteria se transferendi absque Ordinarii scitu et sine causa.

Abbas omnes pecunias monasterii penes se retinet et exponit pro voluntate absque consilio et scitu confratrum.

Aedificia et alia diversa etiam facit absque consilio et scitu confratrum, sed utitur in pluribus consilio cujusdam fabri ferrarii, qui omnino removendus esset.

Ratiocinia quidem fiunt semel in anno, sed adeo confuse, ut ab omnibus intelligi non possint. Distinctius itaque fieri debent idque singulis mensibus vel ad summum singulis angariis.

Alienantur bona et feuda monasterii absque consensu Ordinarii et licentia Sedis Apostolicae.

Pecunia pupillorum suscipiuntur ab Abbate et exponuntur pro voluntate abbatis cum non parva, successu temporis, jactura monasterii.

Abbas praeteritus alienavit praedium quoddam in Rettberg cuidam nobili pro certa pecuniae summa cum detrimento monasterii, quae tamen in hodiernum usque diem non fuit soluta, et praedium ab illius haereditate possidetur.

Abbas modernus vendidit feudum cujusdam praedii sine ulla necessitate et utilitate ad intercessionem ducis Bavariae ejus cappellae magistro.

Cellarius et Granista fratres nunquam vel raro visitant chorum.

Item Cellarius exercet se sclopetis cum secularibus.

Reliqua brevitatis causa omissa ex ordinationibus colliguntur.

Ordinationes

Fratris Feliciani Episcopi Scalensis Nuncii Apostolici etc. pro monasterio sancti Quirini in Tegernsee, ordinis Divi Benedicti, diocesis Frisingensis.

Fr. Felicianus etc. et visitator omnium et singulorum cujuscunque ordinis et sexus monasteriorum etc. Venerabilibus nobis in Christo dilectis Abbati et Monachis Monasterii St. Quirini in Tegernsee, ordinis divi Benedicti, frisingensis dioecesis salutem in Domino sempiternam. Quantum monasteria regularium tam virorum quam mulierum in his partibus existentia ex superiorum partim negligentia et conniventia, partim etiam malo exemplo a veteri disciplina et proprio instituto ac vivendi modo defecerint nos quotidiana incommoda et scandala, quae ex illorum nimia libertate ac licentia emergunt, passim docent. Quae cum non solum bonos mores corrumpant et monasteria ipsa evertant, sed etiam catholicae religioni multum obsint, ea per visitationis et debitaе reformationis remedia abrogare ac religiosos ipsos ad pristinum vivendi normam quantum possumus revocare ex officio apostolico nobis commisso tenemur et conamur. Proinde cum urgente necessitate monasterium vestrum mediante singulorum examine jam visitaverimus, ne labores et conatus nostri fructu suo careant ad repertos apud vos abusus e medio tollendos vitamque regulari ad pristinam, unde deflexit, semitam reponendam, sequentium ordinationum nostrarum tenore necessaria et opportuna remedia mature adhibenda duximus, vobis omnibus et singulis tam capitibus quam membris, praesentibus et futuris in virtute sanctae oboedientiae sub poenis arbitrio nostro, vel Sanctae Sedis Apostolicae, aut ejus Nuncii in partibus pro tempore reservatis, auctoritate Apostolica districte mandantes, ut omnia quae in hujusmodi ordinationibus nostris ad vestram salutem et proximorum aedificationem continentur ad effectum adducere debeatis. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Quamvis matutinum media nocte et caeterae horae canonicae debitis horis persolvantur, nihilominus non solum a Priore, sed etiam ab abbate adhibenda est diligentia, ut distincte et devote pronuncientur.

Abbas non modo matutino et aliis horis canonicis, sed etiam missae cantatae in choro cum aliis intersit, nisi sit infirmis vel urgentibus monasterii negotiis occupatus. Cum enim chorum non ingrediatur, nemo ex junioribus est, qui caeremonias ordinis noverit, quibus abbates chorum ingredientibus excipi et tractari solent. Licet Cellarius, quem et dispensatoris nomine vocant et Granarius sint circa sua officia quibusdam horis occupati, ita tamen sese ad tempus accommodent ut quotidie divinis officiis etiam matutino

in choro cum aliis intersint. Quod ut commodius efficere queant dormiant posthac in communi dormitorio fratrum in propriis cellis, uti etiam olim moris fuit.

Cum ubique moris sit, ut praelati in summis festivitatis vesperas et summum officium cantent, districte mandamus abbati, ut id personaliter facere non intermittat, nisi esset infirmus vel absens in monasterii negotiis.

Non minus abbas, quam caeteri sacerdotes non solum omnibus diebus festivis semper sed etiam aliis frequenter sacrum habeant.

Sacerdotes, etiam abbas celebraturi prius confiteantur, maxime ubi conscientiam habebunt oneratam. Id autem fiat bis ad minus in hebdomada, si non possint crebrius. Fratres, qui non sunt sacerdotes, etiam conversi, juxta laudabile ordinis institutum semel in hebdomada peccatorum confessionem sacerdotibus ab Abbate deputandis faciant, ac semel in mense ad sacram communionem accedant.

Cum monasterium sit insigne et opulentum, magnusque monachorum numerus semper adfuerit ad cultum divinum cum dignitate procurandum mandamus abbati, ut ita successive bonae spei adolescentes ad habitum suscipiat, ne debita monachorum frequentia aliquando deficiat.

Nullus autem juxta sanctiones Sacrosancti Concilii Tridentini ad professionem admittatur ante decimum sextum annum completum et nisi per annum a susceptione habitus in probatione steterit.

Deputet abbas aliquem fratrem presbyterum moribus et doctrina idoneum, nec aliis monasterii officiis impeditum, qui novitiorum et juniorum professorum specialem curam habeat eosque in regulari disciplina diligenter instituat, cui etiam ordinarie confiteantur vel alicui ex Senioribus ab Abbate deputando. Praeficiat etiam illis peculiarem praeceptorem, sive monachum sive alium, a quo in humanioribus literis quotidie doceantur.

Nullus ad suscipiendos sacros ordines mittatur, nisi sit professus et aetatem a Sacrosancta Synodo Tridentina praescriptum (!) expleverit.

Curet abbas fratribus professis non solum ad sacros ordines aspirantibus, sed et aliis etiam sacerdotibus junioribus quotidie aliquid de rebus divinis prelegi, nimirum de Sacramentorum administratione, de conscientiae casibus et de aliis similibus. Hujusmodi autem lectoris officium pro nunc Prior obire posset, aut aliis idoneus.

Abbas etiam curet, ut plures suscipiantur ad habitum conversorum, qui monasterii officiis inferioribus satisfaciant.

Cum superiores non propterea sint instituti, ut imperiose dominantur, sed ut paterne omnia agant, studeat abbas se ita exhibere erga fratres in sermone et opere, ut benignitate ac

mansuetudine sua illorum animos sibi potius conciliet, quam immoderata severitate ac rigiditate odium incurrat.

Cum monasteriis perniciosum sit et monachi apostatandi periculo exponantur, ubi illis huc et illuc libere vagandi a superioribus praebetur occasio, serio mandamus abbati, ne posthac sive per se sive rogatus etiam ab episcopo ordinario aut ipso metropolitano alicui conventuali facultatem det extra monasterium etiam ad tempus manendi, nisi forte ad aliud sui ordinis monasterium determinatum, quod etiam non sua propria auctoritate faciat, sed cum deliberatione capituli sui monasterii, episcopi ordinarii licentia et praelati ad cuius monasterium ille mittitur consensu. Procurent abbas et prior, ut silentium in choro, refectorio ac dormitorio semper et in aliis locis debitis temporibus ab omnibus observetur.

Cum quotidie in capitulo adeo parum ex regula legatur, ut nihil fere memoriam juvare possit, mandamus posthac in praedicto capitulo vel in refectorio tempore mensae integrum caput quotidie praelegatur. Quia vero statuta ordinis et monasterii, quae cum regula observari debent, nunquam legi solebant, praecipimus etiam, ut quotidie in refectorio sub prandio aut coena, unum caput ex dictis statutis legatur. Praeter congregationem fratrum, quae quotidie fit in capitulo, in qua martyrologium et aliquid ex regula legitur ac preces pro benefactoribus ad Deum funduntur, cui quoties potest abbas intersit, volumus etiam, ut feriis sextis abbas vel ipso impedito prior omnes fratres in capitulo congreget et praemissa juxta rei ac temporis occasionem adhortatione, occurrentes eorum defectus tam privatos, quam communes corrigat, et in illorum sacrificiis et precibus non solum benefactores vivos ac defunctos, sed etiam utriusque status ecclesiastici et secularis capita ac praesides commendet cum omnibus Christifidelibus illis commissis.

Licet ex apostolica dispensatione, quam praetendunt ter in hebdomada extra refectorium carnibus vescantur, ob id tamen regularis observantiae oblivisci non debent, proinde etiam ordinamus, ut in hoc loco proinde legatur ad mensam et silentium observetur ac in refectorio seorsim singulis fratribus sua portione apposita.

Quoniam praedicta dispensatio Apostolica carnibus ter in hebdomada vescendi per male narrata obtenta, quibusdam fratribus scrupulum ad religionem iniecit ut eorundem tranquillitati provideamus, pro nunc concedimus, ut hujusmodi dispensatione tuta conscientia uti possint, donec Sm̄s Dns noster admonitus aliud decernat.

In posterum praebatur fratribus melior victus, quam factum hactenus est, maxime cum monasterii opulentia id facile patiat,ur,

et ipsi in choro graves sustineant labores. Detur etiam vinum non acetosum vel alias corruptum, sed bonum, integrum et quod tuendae sanitati conducatur, ne fratres justam habeant conquerendi occasionem bona monasterii magis deservire aliis, pro quibus non sunt fundata, quam ipsis. Instituatur etiam non laicus, sed aliquis ex fratribus, qui vini fratribus exhibendi curam et administrationem habeat, id quod commode dispensatori comitti potest, uti antea semper moris fuit.

Licet aut(em) ordinaverimus, ut fratres in cibo et potu melius tractentur, admonitos tamen illos etiam volumus, ut diligenter caveant, ne ob id usque ad crapulam et ebrietatem multorum malorum escam saturentur, praesertim cum habent hospites quos frugalitate ac modestia bene aedificare studeant.

Vespertinae computationes, tum universo clero, tum maxime regularibus vetandae sunt, et ob id mandamus, ut omnes posthac ab hujusmodi computationibus abstineant ac finito completorio se statim ad suas cellas conferant. Delinquentes trium dierum jejunio in pane et aqua macerentur, super quo abbatis et prioris conscientiam oneramus.

Procuret abbas, ut non modo fratres, sed etiam omnes famuli monasterii jejunia de praecepto ecclesiae diligenter observent a coena abstinentes. Fratres etiam instituta ab ordine jejunia fideliter custodiant.

Quoniam monasteriis Sti. Benedicti multa bona fuerunt a piis personis donata, non solum, ut monachi convenientem haberent sustentationem, sed etiam peregrini hospitio exciperentur et pauperibus eleemosyne erogarentur, maxime in iis, quae a civitatibus remota sunt, et in hoc monasterio vestro procul a civitatibus et oppidis existente fuit antea moris, ut remanentes ex mensa fratrum reliquiae in pauperes, qui in monasterii territorio multi sunt, distribuerentur ob id mandamus abbati sub obtestatione divini iudicii, et idem posthac etiam fieri, ac praebendistis, scholaribus, chori cantoribus propria fercula ex culina ut antea fiebat, dari sedulo curet. Quodsi abbati et fratribus consiliariis visum erit ex aliqua rationabili causa, ut dictae reliquiae ex mensa fratrum relinquentes praedictis praebendistis relinquuntur, earum loco in pauperes singulis diebus sabbathinis octoginta panes, aut si magnae annonae caritas incidit minor numerus pro iudicio et discretione praedictorum patrum distribuuntur.

Scholae, quae non solum praebendistis chori cantoribus, sed etiam filiis subditorum est (!) instituta et deputata, praeficiatur catholicus, probus, idoneus et diligens magister, qui juventutem non modo in literis, verum etiam in omni pietate et moribus christianis fideliter instituat. Nullus autem auctores nisi catholicos illis praelegat, Grammatica Philippi Melanchtonis et aliis id genus libris

haeticorum rejectis et exclusis. Singulis autem feriis sextis parvum doctrinae christianae catechismum doceat, quem omnes pueri memoriter discant. Et magistri, tam ille, qui scholae praeerit, quam ille, qui monachos juniores docebit, si fuerit saecularis, quando suscipiuntur, teneantur prius fidei catholicae facere professionem.

Quia christianae charitatis ordo, regulae et statuta, omnium ordinum, maxime Benedictini merito postulant, ut aegrotorum singularis habeatur ratio: Proinde abbati serio praecipimus, ut statim aliquem fratrem infirmarium instituat, qui omnium fratrum infirmorum diligentem gerat curam. Fratri autem infirmanti assignetur aliquis, qui ei ministret, ac cibi non communes, sed convenientes praebeantur; et uti morbus exiget, advocetur medicus ex cujus consilio ac praescripto omnia fiant. Ut autem medicus in promptu sit, conducant certo stipendio aliquem Monachii, qui teneatur venire quotiescunque res exiget.

Quantenus vero abbas supradictis rebus et aliis monasterii necessitatibus melius providere queat, volumus, ut non solum in choro et capitulo quoties potest intersit, sed etiam cum fratribus ordinarie cibum sumat.

Quoniam non tam de victu, quam etiam vestitu fratribus honeste providendum est, praecipimus abbati, ut vestiario suppeditentur semper vestimenta, linteamina et lectisternia pro convenienti necessitate ac sufficientia fratrum, qui deinde indigentibus de scitu prioris ea distribuat.

Prohibemus tam abbati quam fratribus, ne posthac nisi essent infirmi utantur indusiis et linteaminibus lineis, ac femoralibus contra regulam divi Benedicti.

Videant etiam abbas et prior, ne fratres in suis cellis habeant sclopetas, vel alia arma aut non decentes libros, vel quascunque alias res, statui regulari minus convenientes et ob id bis ad minus in angaria cubicula fratrum visitent.

Cum exercitium armorum sit omnibus clericis, et multo magis regularibus interdictum mandamus sub poena carceris trium dierum, ne posthac vel cum saecularibus, aut inter se sclopetas, vel arcu se ad scopum exerceant, aut iter facientes sclopetas secum deferant.

Licet regularibus honesti modi recreationis certis temporibus ad colligendum animum concedantur, illiciti tamen omnes prohibentur. Proinde serio praecipimus, ut in posterum a scandaloso cartarum et taxillorum lusu, inter se sive cum aliis, praesertim in abbatis et fratrum clausura et a venatione abstineant. Propinquioribus tamen venationibus circa monasterii lacum, tempore congruo abbas, vel ii fratres, qui externa munera curant, interesse possint, non quidem, ut se iis exerceant, sed tantum, ut ministros servosque observent, ne circa capturas parum fideliter agant.

Qui secus fecerint, etiam prior jejunio trium dierum in pane et aqua et carcere juxta rei exigentiam puniatur. Si vero fuerit abbas per integram angariam singulis feriis sextis in pane et aqua jejunare teneatur, quod ut faciat ei sub poena excommunicationis injungimus.

Mandamus, ut intra fratrum clausuram nullae mulieres, cujuscunque gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, praeeminentiae existant, admittantur, et multo minus retineantur, declarantes tam mulieres ingredients, quam introducentes vel admittentes ipso facti incurrere excommunicationem a Pio V. fel. recor. anno 1566 die vero 24 octobris Pontificatus sui anno primo datam ac publicatam, et a Smo D. N. D. Gregorio P. XIII. anno 1575 Id. Junii. Pontif. Sui anno IV. innovatam ac confirmatam, a qua non possunt nisi a Romano Pontifice, qui pro tempore fuerit, absolvi. Imo etiam personas intromittentes eo ipso privari dignitatibus, beneficiis et officiis suis inhabilesque reddi ad illa et alia in posterum obtinenda

Cum non minus ad ejusdem clausurae observationem obligetur abbas, ne alii fratres sub praedictis poenis in illam partem abbatae, ubi abbas personaliter habitat, nulla mulier admittatur, neque in quovis abbatae loco choreae duci aut mulieres comedere permittantur. Ubi autem mulieribus subditis vel aliis, pro aliquo negotio ad abbatem accedendum erit, audiat illas extra habitationes suas in aliquo alio loco publico.

Qui votum castitatis notorie fregerint ac se carnis delicto polluerint praeter poenas a sacris canonibus et ordinis sanctionibus constitutas, quibus puniri debent, etiam eo ipso omnibus officiis et dignitatibus (si quibus fulgeant) sine omni spe restitutionis privati, alii vero in minoribus constituti ad hujusmodi dignitates et officia sint inhabiles.

Claves ecclesiae custos, et abbatae ac monasterii janitores interdiu retineant, noctu, quae abbatiam apud abbatem, et quae ecclesiam ac septa fratrum claudunt, apud priorem serventur.

Sacri Concilii Tridentini decreto ac statutis ordinis vestri inhaerentes nemini fratrum liceat bona immobilia vel mobilia cujuscunque qualitatis fuerint etiam quovis modo a vobis acquisita, tamquam propria aut etiam nomine conventus possidere vel tenere, sed statim ea abbati tradantur conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat abbati pecuniam annuam aut bona stabilia alicui monacho concedere etiam ad usumfructum vel usum administrationem aut commendam. Administratio autem bonorum monasterii ad solos officiales ejusdem ad nutum abbatis amovibiles pertineat. Mobilium vero usum ita abbas permittat, ut eorum supellex statui paupertatis quam professi sunt, conveniat nihilque superflui in ea sit, nihil etiam, quod sit necessarium eis denegetur.

Quod si quis aliter quicque tenere deprehensus aut convictus fuerit, is biennio activa et passiva voce privatus sit atque etiam juxta regulae et ordinis vestri constitutiones puniatur. Per hoc autem non prohibemus, quin interdum a cognatis suis et amicis de licentia abbatis pecuniam accipere possint, ad peculiarem aliquorum usus, quae monasterium, ut minus necessaria suppeditare non consuevit, quam tamen statim abbati aut alteri ab eo deputato conservandam tradant, a quibus ad tales usus tempore exigente, quantum opus fuerit, abbate semper praemonito, accipient.

Nemo recipiat vel mittat literas aut munera absque expressa licentia abbatis vel prioris. Et si cui de praedictorum licentia pecuniae fuerint donatae, ne illas ultra viginti quatuor horas apud se retineat, sed monacho depositario ab abbate designato, ut supradictum est tradat, apud quem conserventur, donec ille indigeat, et de abbatis vel prioris permissione utatur.

Cum omnes superiores certos soleant habere consiliarios, quorum etiam opera suas bene dirigant actiones, ordinamus abbati, ut quatuor ad minus ex monasterio assumat patres a capitulo eligendos, quorum consilio in communibus negotiis semper utatur. Ubi vero graviore incident causae, totum capitulum in consilium adhibeat. Proinde in hujusmodi rebus caveat posthac ne sacellorum, opificum aut aliorum subditorum laicorum (ut hactenus, factum cognovimus) consilio utatur solum, sed et aliorum consulta bona ad fratrum placita in capitulo referat.

Quoniam rerum spiritualium cura, temporalium administrationem praecedere debet, juxta illud Salvatoris: Primum quaerite regnum Dei et justiciam ejus et haec omnia adjicientur vobis, Abbas circa cultus divini ministerium et regularis disciplinae conservationem maxime occupatus sit oportet, quod ut commodius absque rerum temporalium impedimentis efficere queat ordinamus, ut praeter cellarii et granarii praefectos aliquem idoneum ex monachis generalem monasterii oeconomum instituat, qui rebus temporalibus super intendat et abbatis quasi vices in hoc gerat, quem ordo Cellerarium solet appellare, coram quo et abbate necnon monachis consiliariis omnes officiales monasterii semel ad minus in angaria rationes accepti et expensi sigillatim ac distincte ponere teneantur. Coram eisdem fiat et semel generale ratiocinium totius anni.

Paecuniae ex censibus, decimis proventibus vel frumenti ac vini ac aliarum similium rerum venditione collectae, iis demptis, quae pro quotidiano usu sunt necessariae, in libera oeconomi vel abbatis potestate ne relinquuntur, sed una cum sigillo monasterii in arca bene munita sub tribus distinctis clavibus conserventur, quarum unam abbas, alteram Prior, et oekonomus tertiam retineat.

Cum hoc monasterium debeat aeris alieni circiter 10.500 floren.

pro quo annuatim solvitur interesse cum magno monasterii dispendio, mandamus abbati, ut adhibito seniorum consilio ineat aliquam rationem, qua hujusmodi debitis monasterium liberetur, consulto etiam super hoc R^{mo} episcopo Ordinario.

Abbas aut oeconomus vel ambo non possint in aedificiis, aut alios extraordinarios sumptus facere absque consilio et consensu praedictorum seniorum.

Prohibemus sub poena excommunicationis latae sententiae, ne abbas bona immobilia aut etiam mobilia magni momenti emere, vendere, oppignorare, commutare aut quomodocunque alienare possit sine expresso capituli ad signum campanae in loco capituli consueti congregati consensu in scriptis relato et R^{mi} Ordinarii episcopi approbatione etiam in scriptis obtenta. Qui nec ipse vendendi licentiam concedat, nisi sanctam Sedem Apostolicam consulerit; alioquin venditio ipso jure nullo sit.

Quia in visitatione non sine gravi nostro dolore cognovimus, non solum abbatem modernum, sed etiam ejus praedecessores multa bona immobilia etiam feuda, episcopi Ordinarii consensu et Sedis Apostolicae licentia non interveniente contra sacros canones alienasse, imo quaedam majoris momenti ita fuisse divendita, ut monasterium ne obulum adhuc acceperit: Preinde, cum hujusmodi alienationes validae non sint, sub poena excommunicationis latae sententiae mandamus abbati, ut hujusmodi bona et feuda a se alienata restitutis pecuniis recuperet, alia vero a praedecessoribus vendita, praesertim ex quibus monasterium nondum quicquam habuit sub poena privationis praelaturae, monasterio vindicare teneatur, aut ab episcopo Ordinario licentiam et a Sede Apostolica consensum obtinere.

Interdicimus abbati, ne pro aliquo fide jubeat praesertim in magna pecuniae summa. Quod si contrafecerit, praeterquam quod hujusmodi fidejussio nullius erit roboris, sit eo ipse dignitate sua privatus et ad eam vel alias in posterum obtinendas inhabilis.

Quoniam in quibusdam monasteriis hactenus non citra dispendium consuetum fuit, ut laici praebendam minori precio ementes susciperentur, id in hoc monasterio ut fiat interdicimus.

Quia bona temporalia eo maxime intuitu sunt monasteriis data, ut ea ad spirituale cultus divini ministerium potius, quam ad saecularem pompam deserviant, ob id studeat abbas talem habere familiam, ut in ea superflui servi non sint, et ubi uni plura officia commode possunt committi, ad vitandos sumptus uni plura committantur.

Abbas ne deserat monasterium nisi occurrant negotia, in quibus necessario ejus praesentia requiritur. Praeterquam quod enim nimis frequentes profectiones abbatis malum exemplum praebent aliis, hoc etiam accedit, quod graviores expensus mo-

nasterio afferunt. Cum autem postulante necessitate iter aliquo facturus est, ducat secum, si fieri potest, aliquem fratrem et famulos tantum necessarios, ut pareatur sumptibus.

Cum pupillorum cura magnopere commendetur et iis ad quos spectat cordi esse debeat, serio praecipimus abbati, ne posthac subditorum pupillorum pecunias et bona pro arbitrio distrahat, sed diligenter conservet, sub bona custodia aut ita de seniorum consilio colloctet, ut dicti pupilli debitam utilitatem et fructum inde percipiant nec monasterio ulla jactura successu temporis immineat.

Quia onerosum est animae dominorum, maxime ecclesiasticorum, si subditos suos temporalis praesertim rusticos et inopes, insolitis exactionibus aggravent, ob id injungimus abbati sub divina indignatione, ut deinceps praedictorum subditorum oneribus ordinarie debitis contentus sit, neque novis illos molestat et opprimat.

Cum monasterium habeat multos subditos temporales, quibus praeficere solet judicem, qui illis justitiam administret, det operam abbas, ut semper pro hujusmodi officio virum sufficientem et idoneum conducatur, qualem nunc habet, quem deinde in executione ne impediat aut ejus officium pro arbitrio usurpet, sed illi hanc functionem integre relinquat, ita tamen ut inspiciat ac satagat (!) ne subditis a iudice vel ipsius vices gerente ulla fiat injuria aut gravamen.

Similiter omnes alios officiales monasterii tam monachos, quam laicos suis officiis libere fungi ad publicam utilitatem permittat nec ita ipse omnia disponat, ut illi nomen tantum et non rem habeant, ut hactenus factum est cum magna rerum perturbatione ac monasterii dispendio.

Praecipui officiales seculares, qui modo in officio monasterii versantur fidei catholicae professionem coram abbate et senioribus monasterii faciant. Neque in posterum ulli suscipiantur non solum hujusmodi officiales, sed etiam famuli nisi sint syncere catholici et officiales etiam facere praedictam professionem in ipsa susceptione teneantur.

Quoniam monasterium habet sub se aliquot parochiales ecclesias, caveat abbas, ne ad illarum curam suscipiat parochos vel cooperatores, nisi prius ejus loci Ordinario praesentaverit secundum sacros canones, praesertim Concilii Tridentini statutum. Ipsi porro parochi seu sacellani apud monasterium cum debeant esse viri graves, modesti, pii, qui et fratribus bono sint exemplo et hospitibus, atque etiam familiam aedificent et custodiant minime adhibeantur, jo cularibus negotiis at scurrili levitate, sicuti cum superiori parcho factum cognovimus, quo morione potius ac gesticulatore usus est abbas, quam sacerdote magna cum reli-

gionis et ordinis indignitate. Is itaque aut cum fratribus in re-
fectorio comedat, aut extra cum familia potiore sicuti ab antiquo
fuit observatum.

Nemo ex monachis audiat confessiones secularium extra
familiam monasterii, nisi ab episcopo Ordinario sit approbatus
juxta decretum praedicti concilii Tridentini. In praedictis autem
ecclesiis nullum clericum concubinarium aut alias notorie scanda-
losum ferat

Cum sacri canones id prohibeant, nemo regularis, etiam
abbas infantem e sacro fonte suscipiat. De cons. d. x. c. Non
licet et cum sequenti et ib. q. 1. c. Placuit.

Cum abbas modernus cujusdam Petri fabri hominis imperiti
ac sinistrae famae intimis consiliis in monasterii negotiis relicto
fratrum consilio plerumque utatur cum honoris sui laesione ac
monasterii pernicie et superioribus annis susceperit in parochum
ecclesiae prope monasterium quendam Georgium Mayr levis famae,
cujus facetiis et jocis publicis clericali statu indignissimis adeo
delectatus est, ut non solum admirationem, sed magnum etiam
scandalum apud omnes moverit, cujus alibi conditionem jam
habentis frequenti familiaritate adhuc uti non sine dignitatis suae
imminutione pergit: admonemus hortamurque ipsum abbatem,
ut posthac utrumque a suo consortio prorsus excludat et hujus
modi occasionem ob quam male audit omnino removeat. Et quia
abbas sua quedam deliberatione absque fratrum consilio impraes-
soriam instituit maximis impensis atque hucusque nullo admodum
cum fructu majore exercuit, seniorum posthac consilio omnino
utatur, qua ratione tantorum sumptuum aliquis usus esse queat,
nec insciis ipsis quicquam ipse praelo committat. In hoc vero, ut
impraesores nonnisi catholici et probati adhibeantur (cum hoc
hominum genus alioquin, ut plurimum, sit haereticus et ex locis
haereticis prodeat) summa detur opera, nec tales etiam nisi pro-
batissimi unquam fratrum mensae adjungantur. Et ipsa typographia
sic omnino instituatur, ut ne ob eam fratres afficiantur molestia.

Quoniam comperimus quod abbas ex visitatione ante quadri-
ennium per episcopi Ordinarii commissarios facta non modo se
non emendavit, sed etiam variis modis et artibus inter fratres
investigavit, qui contra eum non ex odio, sed pro bono publico
monasterii questi sunt illosque ira commotus est persecutus, ob
id admonemus et injungimus ipsi, ut neminem ob hanc nostram
visitationem quovis praetextu et colore quaesito, directe vel in-
directe molestet, aut etiam de dictis fratrum inquirat, qui in conscientia
tenentur visitoribus veritatem patefacere, alias, si quid secus
ad aures nostras pervenerit contra eum etiam ad depositionem
procedemus.

Ut autem hae nostrae ordinationes firmiter haereant memo-

riae ac melius custodiantur, mandamus, ut semel in septimana in refectorio sub prandio legantur.

In quorum vim et singularum fidem, robur ac testimonium his sigillo nostro, quo in talibus utimur munitis, propria manu subscripsimus. Datum in praedicto monasterio Tegernsee. Anno ab incarnatione dominica M.D.LXXXI. die vero XII. mensis Julii, Pontificatus praefati S^{mi} Domini Papae Gregorii XIII. Anno decimo.

Constituta circa Seminarium et congregationes Religiosorum S. Benedicti, Canonorum Regularium, Cisterciensium et Praemonstratensium in Bavaria existentium.

Var Polit. 102,
fol. 38.

F. Felicianus Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Seacensis ad partes Germaniae superioris Dⁿⁱ Gregorii... Papae XIII. dictaeque Sedis nuncius, cum potestate Legati de Latere. Universis praesentes literas inspecturis salutem in D^{no} sempiternam. Ut in monasteriis quatuor ordinum Divi Benedicti, Canonorum regularium S. Augustini, Cisterciensium et Praemonstratensium per Bavariam constitutis facilius ac maturius, ubi collapsa esset, vetus et regularis disciplina instaretur, et constantius ubi esset conservata, perseveraret, nec non tam sacrae doctrinae, tum etiam omnis aliae eruditionis necessariae usus restitueretur, id quod Sereniss. Principi D^{no} Guilelmo Comiti Palatino Rheni, utriusque Bavariae duci et nobis opus valde utile Catholicae ecclesiae et Deo inprimis acceptissimum fore visum est habito ante biennium dictorum monasteriorum ordinum, et Provinciae Praelatorum conventu concurrentibus omnium suffragiis decretum et stabilitum, ut Ingolstadii Seminarium religiosorum erigeretur, uti dictorum ordinum juvenus in pietatis et literarum studiis commode imbueretur, quae aliquando et monasteriis ipsis ornamento et orthodoxae religioni emolumento foret. Simul etiam definitum et conclusum, ut dictorum ordinum singulorum praesertim Benedictinorum et Canonorum regularium monasteria juxta pium Sanctissimi. Domini Nostri, et R^{mi} D. Metropolitanis Salisburgensis et Sereniss. Bavariae Ducis desiderium in congregationes, quemadmodum etiam erant olim, redigerentur eisque praesidentes et visitatores praeficerentur, quorum nominationem et institutionem nobis pro prima vice detulerunt, servantes sibi eorundem electionem in capitulo quolibet triennio habendo posthac futuram, qui sane praesidentes et visitatores singulis annis monasteria curae suae commissae visitent et reforment in spiritualibus et temporalibus per se, vel, si legitime fuerint impediti, per alios idoneos suorum ordinum, ita tamen, ut ad minus semel personaliter in triennio omnia visitent, illaesa tamen manente jurisdictione, quam Sedes Apostolica et Episcopi locorum in aliqua Benedictinorum et Canonorum regularium monasteria

de jure vel consuetudine habent. Quoniam vero accidit, ut diversa impedimenta intervenerint, quominus hucusque praemissa omnia executioni demandata sint, ne tandum res haec salutaris diutius prorogaretur et evanesceret, heri propinquiores dictorum ordinum praelatos omnium nomine convocavimus, quia remotiores hoc tempore congregari incommodum esset, cum eisque de capessenda praemissorum omnium executione, praesentibus R. nobis in Xto dilectis Sac. Theol. Doctoribus. Georgio Lautherio, Praeposito et Sebastiano Franzio Decano Collegiatae ecclesiae B. M. Virginis et Clarmò Viro Erasmo Vendio, Consiliariis Ducalibus egimus et conclusimus ut sequitur: Seminarium Religiosorum in collegio Georgiano Ingolstadii instituat, ubi habeant locum separatim ab aliis et propriam mensam: Praefectus morum et studiorum Ordinarius fit F. Augustinus Conventualis Altachae inferioris S. Th. D.: et inspector R. nobis in Xto dilectus Albertus Hungerus S. T. D. et Vicecancellarius Universitatis, qui semel aut bis in mense videat progressus illorum quoad literas et mores, quorum duorum officia ad congregationum aut Visitorum arbitrium durent. Personae mittendum ad proximum venturum autumnum absque ulla alia dilatione veniant pro necessitate et commoditate cujusque monasterii instructae, Sereniss. Dux, quod ad rem melius promovendam pro sua pietate, religione et liberalitate pollicitus est, dubio procul mille florenos huc conferet ad sex annos. Praelati omnes ad hujus Seminarii felix principium contribuant, quilibet mediam partem pecuniae antea datae in usum Cantorum, et quibus locis nondum collecta est, per deputatos quam primum exigatur et ad usus necessarios applicetur. Quid autem attinet ad congregationes, Ven. nobis in Xto dilectos Nicolaum, abbatem in Etal, Frisingen. Benedictinis, Laurentium praepositum in Paumburg Salisburgen. Canonicis regularibus Praesidentes generales, Andream abbatem in Allerspach Passavien Cisterciensibus et Gallum abbatem in Staingaden Augustinae, Praemonstratensibus Visitatores provinciales et pro monasteriis in Etal, Quirinum abbatem in Tegernse Frisingen. In Paumburg, Joannem praepositum Chiemensem Salisburgen. In Allerspach Wilibaldum abbatem Cellae Principum Passavien et in Staingaden Ludovicum praepositum in Schefflern, Frisingen. dioecesium visitatores singulares, usque ad futurum triennale capitulum proximum nominavimus, deputavimus, instituimus et confirmavimus cum omni autoritate visitandi, reformandi, corrigendi et alia omnia faciendi, quae hujusmodi praesidentibus et visitoribus de jure vel consuetudine competunt, decernentes, ut deinceps praelati saepe memorati, in capitulis, quae de triennio in triennium habebuntur liberam habeant electionem eosdem retinendi vel alios creandi, prout magis in Dno expedire judicaverint. Praesidentes autem generales Benedictinorum, et Canonicorum regularium

posthac confirmentur a R^{mo} Metropolitano D. Archiepiscopo Salisburgensi, alii vero duo, Cisterciensium et Praemonstratensium Visitatores a suorum ordinum Generalibus interimque maneant cum officio praedecessores usquedum successores confirmationem obtinuerint, nisi eorum aliquis esset e vivis sublatus, tunc enim electus Vicarius per modum provisionis officio fungatur. Alii quatuor visitatores singulares, qui in capitulo triennali ad visitanda monasteria visitorum generalium deputati fuerint quamprimum fuerint in capitulo electi, eo ipso sint etiam confirmati. In congregatione autem Benedictinorum, non solum duo ejusdem ordinis monasteria Ratisponae existentia et S. Sede Apostolicae immediate subjectae St. Emerami et Jacobi Scotorum, sed etiam monasterium S. Petri Salisburgi et alterum in Peurn sub dominio temporali R^{mi} Metropolitanus Salisburgenſis, necnon monasterium S. Georgii in monte in ditione Ser^{mi} Archiducis Ferdinandi constituta: item in Canonicorum regularium congregatione monasteria in Berchtesgaden, et Egluerdt, ejusdem ordinis sita prope Salisburgum, comprahensa esse intelligi volumus et ita declaramus, idque tantum quoad visitationem et reformationem. Quilibet vero Visitor generalis, donec modum visitandi bene didicerit habeat sibi adjunctum quoad monasteria Bavarica aliquem ex consiliaribus Ducalibus ecclesiasticis hujus rei peritum. Ut autem Benedictini inter se et Canonici regulares etiam inter se quemadmodum in regula, constitutionibus et communi vivendi modo conveniunt, ita quoque in caeteris maxime quoad habitum et divini cultus exercitium conformes sint, cum quodlibet ferme monasterium Benedictinorum et Canonicorum regularium harum regionum ab aliis in his discrepet, hoc erit diligenter curandum, ut omnia monasteria Benedictinorum uno Breviario, veluti congregationis Montiscassini, et eodem vestiendi genere, maxime quoad cucullam, caputium et coronam monachalem in capite, aliisque rebus omnibus confirmiter utantur: idem etiam faciant canonici regulares praesertim quoad cappam cum caputio et coronam monachalem in capite juxta vetera ordinis eorum statuta exceptis iis, qui aliter incedendi privilegium habent Apostolicum, quibus etiam commode Breviarium Romanum introduci et usum referri potest. Quoniam vero superius S. Sedi Apostolicae et Ordinariis jurisdictionis in aliquot Benedictinorum et Canonicorum regularium monasteria mentionem fecimus, commemorandum hic videtur, quod praelatorum, qui pro tempore in monasteriis hujusmodi electi fuerint confirmatio, si exempta sint, ad Sedem Apostolicam, et in non exemptis ad locorum Ordinarios pertineat. In hujusmodi autem praelatorum electionibus praeter Ordinarios deputatos in monasteriis non exemptis per se vel per alios sint etiam praesentes supradicti visitatores ordinum suorum, nec minus in monasteriis exemptis etiam Sedi Apostolicae immediate subjectis. Et

quia etiam meminimus Capituli quod de triennio in triennium ab eis haberi debet, hoc etiam quoad Benedictinos et Canonicos regulares praetermittendum non est, in hujusmodi capitulo inter alia, de abusibus, qui fuerint in visitationibus reperti, esse agendum et communicatis consiliis statuta edenda, quibus abusus removeri possint. Statutorum autem hujusmodi editioni intersint etiam, si venire voluerint, admoniti, unus R^mi Metropolitanus Archiepiscopi Salisburgensis et alius nomine Ordinarii, in cujus dioecesi capitulum habebitur. Quo autem efficacius et commodius visitationis et reformationis negotium procedat, Ordinarios locorum in D^{no} hortamur, et rogamus, ut praedictis visitatoribus omne necessarium auxilium praebere velint cum ea res ad Dei honorem, religionis catholicae incrementum, salutem animarum et regularis disciplinae ac monasteriorum ipsorum conservationem sit instituta. praeterquam quod etiam Ordinarii eo labore sublevabuntur. Ad removenda autem cujuscunque generis obstacula mandamus omnibus et singulis cujuscunque status, conditionis, dignitatis, praeeminentiae existant, sub interminatione maledictionis aeternae, et Sanctae Sedis Apostolicae indignatione, ne visitatores hujusmodi, quominus officium debite faciant, vel visitationem, quominus suum effectum consequatur, per se vel alios publice, vel occulte, directe vel indirecte, aut alias quoquo modo impedire praesumant. Quod si acciderit aliquando, ut visitatores ipsi visitationis et reformationis officium negligant, nec scandalis et abusibus pro tempore occurrentibus opportune provideant, tunc locorum Ordinarii supplere et debite providere possint: uno etiam praesidentes et visitatores praefati Benedictinorum et Canonicorum regularium, locorum ordinarios, quoad monasteria eis subjecta, de omnibus necessitatibus instruere, eosque consulere debent, praesertim in gravioribus. Praeterea Sereniss. Bavariae Ducem hortamur et requirimus, ut quemadmodum huic sancto operi executioni demandando consultor fuit, ita etiam illud ipsum fovere, adjuvare et promovere velit visitatoribus, qui pro tempore fuerint, mandatum praebendo quatenus ubique a praefectis et aliis officialibus ducalibus, re exigente brachii saecularis auxilium habeant in monasteriis in ejus temporali dominio positis. Similiter etiam rogamus Sereniss. Archiducem Ferdinandem quoad monasterium Montis S. Georgii. Id quod non dubitamus eos libenter praestituros, pro ea, qua clarent in Deum et ejus ecclesiam pietate atque in omnes religiosorum ordines benevolentia, necnon summo reformationis desiderio. Quae omnia et singula, uti ex Sanctissimi Domini nostri mente et desiderio profecta sunt, ita etiam ejusdem judicio et ulteriori dispositioni subjecta esse volumus. Hoc etiam singuli monasteriorum praelati fideliter observent, ut qualibet feria sexta capitulum habeant in quo fratres ad religiose vivendum juxta temporis et

rerum occasionem hortentur, eorum defectus corrigant et principum ecclesiasticorum et laicorum et aliorum benefactorum tam vivorum quam defunctorum, praesertim fundatorum animas Deo commendent. Et quia praesentes praelati humiliter a nobis petierunt, ut praemissa omnia aliis praelatis absentibus insinuare et significare gratiose dignemur, ideo ut ea ad dictorum praelatorum et quorumcunque aliorum, quorum interest, vel interesse poterit notitiam veniant, ab eis ad effectum debitum statim adducantur, id quod illis serio mandamus, praesentes literas confici et sigillo nostri officii, quo in talibus utimus, mandavimus communiri.

Actum Monachii Anno Domini 1583 die vero 24 Maji Pontificatus praelibati Sanctissimi Dni N. D. Gregorii Papae XIII. Anno duodecimo.

De Sacramentarii Gelasiani substantiali authenticitate.

Disquisitio Liturgica, auctore † R. P. Domno Beda Plaine, O. S. B.¹⁾

Praeambula.

Nihil forsitan inter omnia documenta liturgica, quae nobis transmisit antiquitas ecclesiastica, venerabilius seu sacratius inveniri potest Sacramentario Gelasiano: quippe quod ab ejus auctore seu collectore nuncupatum: „Liber Sacramentorum Romanae Ecclesiae“ nobis revera exhibet, quidquid reputatur magis essenziale in forma et magis antiquum in ritibus uniuscujusque septem Sacramentorum non inclusa tamen Extrema Unctione.²⁾ Immo in eo reperiuntur saltem initialiter et compendiose rubricae et formulae, quae hodie passim habentur tum in Missali, tum in Rituali seu Pontificali Romano. Aliunde iste codex Gelasianus, licet paulo recentior Sacramentario Leoniano dicto,³⁾ majori semper gavisus est auctoritate et gaudere debet. Nam a Pontifice Romano editus et promulgatus inservit per plura secula cultui publico in toto nostro occidente sive separatim et solus ante dies S. Gregorii Magni, sive postea conjunctim cum Sacramentario, quod ipse Gregorius edidit, dum e contra Sacramen-

¹⁾ Haec tractatio jam gallica edita est (Science Catholique, Augusto et Septembri anni 1895); sed hodie ob rei praestantiam et in piam memoriam defuncti auctoris in linguam latinam vertitur, additis aliquot novis dilucidationibus.

Redactio.

²⁾ De ea agitur solummodo indirecte in Coena Domini, occasione benedictionis olei infirmorum.

³⁾ Istud nihil revera habet commune cum S. Leone Papa, nisi quod ei fuit attributum a primo ejus editore Josepho Bianchinio (Romae 1735). Adest in Patrologia Latina, t. LV p. 1—160. Sed nova editio data est Dublinii in anno 1896 a claro viro J. Feltré.